

I. N. 7.
DISSERTATIO GRADUALIS
DE
**SIMULACRIS
VIRTUTUM,**

Cujus
Partem Posteriolem,
Consens. Amplif. SENATUS Philosoph.
in Regia Academia Aboënsi,

PRÆSIDE

MAG. **JOHANNES
BILMARK,**

HIST. & PHIL. PRACT. PROF. REG. & ORD.

Publice ventilandam sistit

ANDREAS ACHRENIUS,
IAVASTENSIS.

In Audit. Maj. d. XVII. Julii Anni MDCCLXVI.

H. A. M. S.

ABOÆ

Impressit JOH. CHRISTOPH. FRENCKELL,

S:Æ R:Æ M:TIS
MAXIMÆ FIDEI VIRO,
PERILLUSTRI ATQUE GENEROSISSIMO
DOMINO,

D:NO JOHANNI
GEORGIO
LILJENBERG,

Regis Regnique Collegii, quod Rei Metallicæ
curam gerit, PRÆSIDI Gravissimo,
Atque
Stellæ Polaris EQUITI Splendidissimo.

MÆCENATI MAXIMO.

Quamvis plurima me deterruerint a proposito,
specimen hocce Academicum TIBI, MÆCE-
NAS GRATIOSISSIME, offerendi; fuerunt tamen alia,
eadem-

eademque non minoris ponderis momenta, quæ languidum animum erexerunt, ut **TIBI** hoc qualecunque munusculum cernuus traderem. Suspicio merita **TUA** in Patriam amplissima, admiror etiam summam ingenii atque judicii **TUI** vim, nec non eloquii flumen, quo omnes in **TUI** studium blande trahis. Quæ singula probe considerans, fatis animadverto, quam parum exquisitissimo **TUO** palato incocta mea convenient dona, & quantum ante festivas **TUAS** aures strideat agrestis mea fistula. Has autem præstantissimas dotes, nec non eximium meritorum jubar aliis prædicanda relinquens, in obtutu virtutum, quibus niveum **TUUM** pectus admodum micat, defixus hæreo. Prolixam imprimis gratiam celebros, qua Patrem meum carissimum nullo non tempore fuisti amplexus, & cujus deciduos radios ipse quoque non raro collegi. Patiaris igitur, **MÆCENAS MAXIME**, dissertationem hanc esse pignus

gnus pietatis, quam nunquam vel disturbabit simu-
latio vel imminuent fortunæ vices, qua TE devo-
ti prosequimur.

Servet TE DEUS O. M. omni felicitatis genere
cumulatissimum, ut in TE habeat Patria columen fir-
missimum, Familia Generosissima fulcrum & sola-
tium certissimum, Clientes denique Patronum Gra-
tiosissimum. Ita ex intimo corde precatur ad cine-
res usque permanſurus

Perillustri atque Generosissimi
NOMINIS TUI

Cliens devotissimus
ANDREAS ACHRENIUS.

JUVENI, FILIO,
PRO GRADU disputaturo,
ANDREÆ ACHRENIO,
Monita Paterna transmisit Genitor
ABRAHAM ACHRENIUS.

Currens in stadio palmaria nulla reportat,
Si cursus justam non possit tangere metam.
Ultimus in cursu, vix es mi Gnate, sequester
Heic terrenorum, studiis vigilantibus excors;
Ergo, quod jubet officium, Te pauca monebo:
Cerne viam, rogito, properans quâ curris, ad astra
An vehat incertum, votis velisque secundis?
An magis in subitas, animo titubante, cavernas,
Si mens læva foret? Nunc ergo prospice metam.

Nonne caduca movent tua pectora: nonne sequester
Es mundanorum? Vix vix defendere verbo
Hoc potis es: jam siste gradum, mox curre retrorsum:
Vix audis! properare cupis: sed siste parumper,
Dum moneo: jubet hoc pietas, & jussa Paterna
Mandant obsequium: jam stas: hoc more retento
A teneris, ne jussa Patris violaveris unquam.
Immemor officii, (prolapsa circiter anno)
Haud fueras gnati: Te germina prima modeste
Addixisse mihi, tum fronte favente videbam.
Obsequium laudo: cape nunc præcepta Paterna.

Est

*Est via quæ curris scopulosa, subaspera, pulcra,
 Noxiæque, & paucis innoxia: cuncta revolve:
 Est scopulosa piis, iterumque subaspera pigris,
 Pulcraque mundanis, qui nulla pericula cernunt:
 Noxiæque elatis animis: innoxia cautis,
 Qui pietate graves, scopulos vitare frequentes
 Omni vi satagunt, veræ virtutis amore:
 Crimina mortificant, spurcæque libidinis æstus
 E medio tollunt: mundana libamina calcant (*);
 Et simulacra simul virtutum pectore puro
 Excutiunt: Hoc nemo potest, nisi fultus ab axe
 Numinis auxilio: suspira! talibus esto
 Par pietate gravi: ne Te vanissima mundi
 Atque caduca trahant ad torrida: cœlica cerne!
 Est pretium pulcrum, quod gratia Numinis omni
 Currenti ad cœlum spondet: qui castra salutis
 Speque fideque pia, Domino moderante, sequatur (**).*

*Spernere mundanos potis es, vel adeptus, honores;
 Atque caduca nimis post terga relinquere (†) forti
 Pertendens animo, quo te Divina voluntas
 Evocat, ut bravium quæsitum tramite recto (††)
 In castris lepidis tandem potiare Piorum:
 Perge, precor, cursum cœlestem reddere tutum (†††);
 Tendere sic animum juvat ad secreta futuri.*

(*) Phil. 3: v. 8. (**) Apoc. 2: v. 10. (†) Phil.
 3: v. 13. (††) 1 Cor. 9: v. 24, 25. (†††) 2 Petr. 1: v. 10.



§. XII.

Nec virtus illa egregia, ad quam in vicem exercendam, & præstantia invitat & quotidiana fere necessitas nos excitat, suis destituitur minimis. Per illam intelligimus *Justitiam*, cujus accuratam administrationem & sanctimonia Legum & indoles societatis bene constitutæ inculcant. Consistit autem hæc in proposito id, quod suum est, unicuique secundum leges tribuendi. Jam vero facile colligitur, illum contra hanc virtutem peccare, qui vel plus vel minus tribuit, præsertim si affectuum persuasioni obtemperet. Inter mortales, a quibus genuina hæcce virtus sæpe exulat, haud pauciveniuntur, qui egregium ejus nomen sibi præter meritum arrogant. Qui enim rigidi adeo sunt exactores, ut in administranda justitia nullam rationem habeant quantitatis delicti, sed sive majus sive mi-

D

nus

nus illud fuerit, pari damnant poena, illi justitiæ laudem tanto minus merentur, quod sæpius accidat, ut, neglecta æquitate, poena major sit quam culpa, & sic non emendet errantem, sed potius peccatus ejus exasperet, utque summum jus vertatur in summam injuriam. A justitiæ cynosura illi quoque recedunt, qui, quod pauperes & tenuis fortis homines delinquant, exaggerando ad unguem usque castigant, quod autem locupletes in honoris culmine perpetrant, tanquam rem levis momenti & plane frivolam vix quæstione dignam arbitrantur; qui, quando illi peccant, legem valere judicant, quando autem hi funesta etiam committunt facinora, ex lege etiam arguta ratione illis præsidium quærunt: & ut paucis multa complectar

Dant veniam corvis, vexat censura columbas.

Cum autem ambitio & gloriæ cupido in præstandis virtutum simulacris sæpe utramque faciant paginam, non mirum est, quod, si quis iis stimulatus fuerit, in publicis quidem negotiis & ubi justitia palam est administranda suum cuique tribuat, domi vero & inter suos secundum affectus judicet. Eodem redit, si quis omnem operam navet, ut in rebus magni momenti justitia ejus conspiciatur, in parvis vero accuratiorem justitiæ administrationem negligat. Sic *Pharisæi* olim doctrinam de sanctificando Sabbatho eo usque extenderunt, ut etiam omnia opera necessitatis & caritatis eis diebus commissa, vetita habuerint, cum tamen in aliis momentis,
 præ-

præsertim dum privata in illis versaretur utilitas, religioni sibi non duxerint, præceptum Divinum de sanctificando Sabbatho transgredi. Immo quid plerorumque *Judeorum* justitia, quam timor, ne Deus illis immorigeris beneficam manum subduceret, hostibus illos traderet, nec non vineas, agros & præta sterilia redderet. Multi quoque justitiam exercent erga alios, non quod eximia hac virtute firmatum gerant pectus, sed tantum ne alios lædendo hi vicissim eorum tranquillitatem & otia, quæ impense curant, quoquo modo turbent. Norunt enim, quam proclive sit hominum genus ad mala inferenda, & quod ex levi scintilla maxima contentionum incendia non raro existant; quare consultum ducunt, suam cuique tribuere. Non admodum sunt hi culpandi, laudandi tamen essent, si ex proposito facerent, quod jam timore ducti peragunt. Hinc veteres Philosophi monuerunt, quod aliud sit actio justa, aliud juste agere. Pulchre igitur PLINIUS in Libr. VIII. Ep. 2. *mibi autem egregium imprimis videtur, ut foris ita domi, ut in magnis ita & in parvis, ut in alienis ita & in suis agitare justitiam.*

§. XIII.

Fortitudini tantum pretium statuerunt veteres, ut huic inter virtutes vel primum vel primo proximum decreverint locum. Est autem illa, qua quis periculum præsentis animo adgreditur, ideo quod aliam rationem se aliosque ab injuria defendendi, aut majus bonum comparandi non videat. Quo præ-

stantior hæc est, ad cujus quippe laudem non parum facit, quod in rebus præsertim ambiguis, & quibus gerendis non omnes sunt pares, se conspiciendam præbeat, eo magis vitia quoque hujus speciem induere nituntur, ut hujus saltem larva se commendent. Quicumque primo intuitu aspiciat progressus fortitudinis inter nos, caveat sibi, ne nubem pro Junone & audaciam pro vera & genuina amplectatur fortitudine. Sicut autem illa non rationem ducem, sed impetum solummodo adfectuum sequitur, tantum hæc discrepant, quantum liquidus & tranquillus animi status a turbato differat. Minime igitur illos comitatur fortis animus, qui vehementiori adfectuum dominio abrepti & inanis gloriæ nomine capti, sese invicem ad singularia certamina provocant & vitam suam periculo manifesto, sed non necessario, exponunt, ut vel per necem glorificam statuum sibi apud seros nepotes (qui vero si virtute imbuta gerant pectora, non possunt non temerarios illorum ausus detestari) acquirant, vel ut vitricibus armis indignationem suam in adversarium effundant. Historiæ imprimis antiquiores sunt plenæ ejusmodi Monomachorum exemplis, quorum nonnulla saltem adduceremus, nisi nobis esset persuasum, quod ad dedecus generis nostri talia sint referenda. Ecce autem quid de fortitudine Monomachorum graphice, ut nobis videtur, scribit quidam ex recentioribus: *Ils tiennent ceux, qui leur sont étroitement unis par la nature; qui est une inhumanité. Ils se mettent dans un danger visible d'être tués eux.*

eux-mêmes; ce qui est une manière de desespoir. Ils sont cause de la damnation de ceux qu'ils tuent, & de la leur, quand ils sont tués; ce qui est diabolique. Ils se font justice à eux-mêmes; ce qui est une visible injustice. Ils font profession de renoncer à la pratique de la patience; ce qui est renoncer au Christianisme. Ils commettent ces divers crimes pour des sujets frivoles; ce qui est une véritable folie, & témoignent qu'ils ont du cœur dans des occasions, qui regardent leurs intérêts particuliers & non pas la cause publique; ce qui est contre la véritable bravoure. In castris & in conspectu adversariorum non exigua præbetur ansa, pectus fortitudine incoctum ostendendi: fuerunt etiam, qui munus hocce suum pro virili obierunt, non structas in campo acies, non districtos in cædem gladios extimescentes. Jactitant Græci suos MILTIADES, THEMISTOCLES, ALEXANDROS, Romani SCIPIONES, Pæni HAMILCARES & HANNIBALES, Turcæ OTTOMANNOS, quorum tamen nonnullorum fortitudinem fucatam reprehendit ED. NEUHUS. in *Theatr. Ingen. Hum. Libr. 2.* Quicumque enim non Patriæ amore & salute reipublicæ incitati, sed ex studio gloriam acquirendi fortunæ ludibrio se exponentes arma capiunt, non sane virtutis hujus alumni sunt salutandi.

Quicumque etiam periculis sese committunt, magnitudine eorum prius non pensitata, aut hosti obviam eunt virium illius ignari, fortitudinis laudem non merentur. Quid autem de iis dicendum, qui vel violenta manu membra abscindunt vel vitæ filum abrumpunt, Fuerunt tamen qui contra omne

rationis dictamen abominandum *αυροχρεια* facinus non solum non detestati sunt, sed etiam illud ut specimen singularis fortitudinis proclamaverunt (*). Celebrantur etiam ob hoc facinus in Ethnicorum scriptis AMILCO CARTHAGINENSIS, THEMISTOCLES, CATO UTICENSIS, BRUTUS, CASSIUS, & plures, quorum alii veneno vitam finierunt, alii gladio præcordia transverberarunt. Ast nemo etiam ex iis, qui fortitudinem mentiuntur, longius a genuina recedit, quam isti, qui ex desperatione salutis vitam, ut sarcinam intolerabilem, abjiciunt, & ut mortem fugiant, in ipsam sese præcipitant. Eadem cum antea allatis premunt vestigia, qui propter cruciatus aut ultimum supplicium, quod ab hostibus metuunt, mortem præoccupant. Longe enim fortius egissent, si animo intrepido immeritum vel meritum supplicium expectassent.

(*) LIPSIUS in *Manuductione ad Phil. Stoic. dissert. 22.*

§. XIV.

Patientiam appellamus habitum, actiones suas in adversa fortuna legi naturali convenienter instituenti; quæ virtus tum imprimis conspicitur, si animus, ingruentibus malorum procellis, non admodum turbetur. Hæc non repugnat fortitudini, nec minori animi magnitudine opus est ad subigendam iram, quam injuria nobis illata excitat, quam ad fortissimos hostes vincendos secundum illud Poëtæ:

Fortior est qui se quam qui fortissima vincit
Mania " " " " "

Nec

Nec SENECA male: *Tunc apparet, quanta sit virtus, quantum valeat, quantumque polleat cum quid possit patientia ostendit.* Simulant hancce virtutem inter alios, qui *ἁφροσύνας* jactitant, sive qui omnes affectus extirpare nituntur. Quemadmodum enim iræ furor & vindictæ cupiditas veram patientiam sufflaminant, ita nec ex altera parte hujus exigit indoles, ut omnis vindicta, etiam justa & legitima sit proscribenda, utpote quæ interdum & ratione defensionis sui & respectu administrationis justitiæ sit necessaria. Rarissime tamen hujus generis simulatores in vita communi occurrunt; sæpius enim accidit, ut quis illatas ferat injurias, quia metu majorum malorum impetum adfectuum suum cohibere necesse habet, vel quia præmii spes omnes molestias ab aliis illatas præponderat, quorum tamen neuter patientis nomine se satis dignum reddit. Nonnunquam etiam ex defectu virium & occasionis ulciscendi, quis hanc virtutem mentiri potest. Sed quid? Numne isti patientiæ limites solummodo transgrediuntur, qui externe & publice indomitos suos affectus produnt? Potius status animi internus in tolerandis injuriis est considerandus. Plura omnino requirit Religio Christiana a patiente, qui egregium hoc nomen tueri vult, & quæ ingens simulatorum cohors nunquam omnibus artificiis adsequi potest. Sæpe etiam patientia feroci nititur superbia & cupiditate supra alios constantia eminendi. Talis fuit *Stoicorum* & *Cynicorum* patientia, cujus rei exemplum nobis præbet ipse **DIOGENES**, qui
cum

cum forte prope rivum confederat, qui ex improvise exundare cœpit, ipse quamvis aquis totus suffunderetur & multa pateretur, locum tamen non mutavit; quam patientiam omnes, qui aderant, perquam admirabantur. Accessit interea gravissimus PLATO: Ite domum, inquit, amici & vos sequetur DIOGENES. His significavit, patientiam DIOGENIS ejus esse generis ut deficeret, deficientibus spectatoribus & admiratoribus. Sic adfectus adfectum nonnunquam repercutit, ut loquitur SENECA.

§. XV.

Consideranda a nobis quoque est *benignitas*. Consistit autem hæc virtus in eo, ut aliis præstemus, quæ ipsis sunt necessaria & commoda, quoties facultates nostræ permittant, vel saltem se in eo exserit, ut felicitatem aliorum idoneis consiliis hilariter promoveamus. Nulla fere est virtus, cui homines tantum statuunt pretium ac benignitati, quod certe non mirum est. Immo Judicia enim plerumque ferunt de actionibus & virtutibus pro relatione, quam habent ad ipsos. At nulla est virtus, ex qua majora commoda colligunt, quam ex benignitate. Quid enim gratius, quam beneficiis ab illo præveniri, quem nullis officiis nobis devincere potuimus, forte nec in posterum possimus? Quid Homines plerumque illos considerant, tanquam a studio suæ commoditatis & utilitatis alienos, qui amore opum corradendarum non ducuntur, cum tamen plurimæ dentur lucri & commoditatis species. An ALEXAN-
DER

DER, qui totum peragravit orbem, ut gloriam sibi acquireret, minus fuit lucri cupidus, quam mercator, qui ut opes acquirat ad extremos navigat Indos, nec ulla sive in falo sive in solo exhorrescit pericula. Sed hæc obiter: ad benignitatem revertimur. Quam multi hanc virtutem æmulentur, nemo fere ignorat; quorum tamen officiositas & studium aliis benefaciendi nunquam ex sincero benignitatis fonte profluit. Occurrunt nobis ex illorum numero isti, qui cujuslibet petitionibus velificantur, non considerantes, an id quod petit, ipsi sit necessarium & commodum; immo cum infinitis modis etiam inhonestis non raro sibi mutuo inferre pro diversa & perversa multorum inclinatione queant mortales, non mirum est, quod hæc officiositas cum detrimento alterius interdum sit conjuncta, imprimis si æstuantes aliorum affectus sufflare & sustentare quis ita satagat.

Insignem sæpenumero benignitatis & comitatis speciem voluptuosi præ se ferunt; in conversationibus enim familiares admodum sunt & vix unquam morosi reperiuntur, in serviendis aliis sæpe primi, idque eum solummodo in finem, ut bene audiant, nec mollem eorum statum quisquam turbet. Hi quoque sunt, qui non ratione duce, nec amore in genus nostrum, sed ex temperamenti conditione humanitatem colunt. Neque benignis eum adjungimus, qui operam suam alicui in illis saltem rebus exhibet, quæ absque difficultate & labore præstantur, illi autem parum utilitatis adferant;

rant; in reliquis vero majoris momenti negotiis operam suam ei subducit; seu cujus tota benignitas in gestibus & verbis consistat. Jactitant frustra suos in hac virtute progressus adultores; quippe qui blandis verbis Patronos demulcent, dum amara quævis contra ipsos in corde meditantur, quique omnis generis insidias eis struunt, quibus obstrictissimos se esse confitentur, & ut THEOGNIS in hunc modum cecinit:

*Quando sub facili latitant mala pectora vultu
Et condit varios fronte nitente dolos.*

Inveniuntur etiam illi, qui propriæ utilitati & fortunæ consulentes, humanitatis & benignitatis larvam induunt, & alterius commoditatem ideo promovere student, ut magnum præmium officioque majus ab ipso impetrare possint; adeoque instar mercatorum se gerunt, qui erga illos maxime sunt faciles, a quibus maximas emungere possunt pecuniarum summas. Immo multi eorum, qui bonitatem profitentur, extra seipsos exspatiari atque seipsos oblivisci videntur, quoties tempus, gressus atque curas aliorum usibus & commodis impendunt. Attamen quisquis rem attentius consideraverit deprehendet, quod intra se ipsos maneant & ad se omnia referant; non dissimiles arboribus, quæ ex terræ gremio egrediuntur, ut accrescant & altiores indies fiant. Adeoque horum benignitas præstigiiosa admodum est, alio enim semper spectat, quam ipsa videatur. Nec magis humanitas

eorum est probanda, qui gloriæ stimulis fascinati alterius commodis inserviunt, ut suum splendorem ita aliquando augeant.

§. XVI.

Virtus illa, quæ omnem operam eis rebus ad discendis & augendis impendit, quæ partim Societati humanæ, partim privatæ felicitati innoxia ratione promovendæ inserviunt, *Diligentiæ* nomine insignitur. Est hæc virtus sincera, quando ad negotia & munera obeunda Publica utilitas præcipuum addit calcar. Exinde facile patescit, eum virtuti huic non studere, qui sedulo huic vel illi rei incumbit, ut gloriam solummodo consequatur. Sunt etiam nonnulli, qui etiam revera Reipublicæ labores suos devovent, quorum tamen diligentia in tantum est spuria, in quantum non patriæ amore, sed proprii lucri stimulis ad has actiones fuerunt impulsæ. Nec omnes, qui scientiarum incrementa summo studio promovent, provocat Reipublicæ emolumentum. Quid? Quod Auctores non pauci calamis laborent indefessis, atque libris componendis totam ætatis lucem atque omnem vitæ commoditatem addicant, ut famam tantum nominis sui in omnem posteritatis dispergant memoriam. Alii vitam degunt perquam molestam, ut ingentes tantum pecuniarum summas corradant; qualis diligentia apud illos homines conspicitur, quorum animis avaritia dominatur.

Essent

Essent quidem plura adhuc virtutum simulacra detegenda, forte etiam quæ attulimus & novis argumentis vindicanda & plenioribus exemplis ab Historiarum penu depromptis essent illustranda; sed tempori impræsentiarum erit serviendum. Et cum officina nostra Typographica variis dissertationibus imprimendis jam fere sit onerata, filum dicendorum hac vice abrumpere cogimur. Addimus tantum, quod sicut veræ Virtutis studium his meditationibus promotum cupimus, ita non possumus non felicem admodum istam prædicare civitatem, in qua non figulus figulo invidet, ut loquitur HESIODUS, sed sapiens cum sapiente certat, justus justum æmulari, & quisque cum altero virtutis præstantia contendit. Sic enim fit, ut dum singuli sese ad tam illustres & honestas contentiones & ad virtutis certamen acuunt, universi tandem sint in virtutum omnium studio florentes, excitati, instruti, inflammati.

S. D. G.

